

V I R O
AETATE MERITISQVE SVMME VENERABILI,
AMPLISSIMO DOCTISSIMOQVE
D O M I N O
M. IOANNI THEODORO
LINGKIO

PASTORI PRIMARIO AD S. AEDEM VRBIS TORGAVIAE
LONGE MERITISSIMO GRAVISSIMOQVE, SVPERINTEN-
DENTI DIOECESEOS TORGAVIENSIS
PIE COLENDO

CVM

DOM. III. ADV. ANNO I. P. C. S. MDCCXCV.

M E M O R I A M

SACERDOTII, QVINQVAGINTA ANNIS ABHINC SVSCEPTI,

SOLENNITER CELEBRARET

PIETATIS ET OBSERVANTIAE CAUSA

QVAEVIS FAVSTA A DEO OMNIBVS PRECIBVS VOTISQVE
DEMISSISSIME EXOPTAT

NOMINE TOTIVS EPHORIAE

M. IOANNES GOTTLOB RIECKIVS

PASTOR SIZERODAE.

DRESDAE,

LITERIS HARFETERIANIS.

Biogr. erud.

D. 1608,76

VIRG

M. TOALMAY THEOPHILUS

LINCOLN

FRANCIS BERNARD AND S. ALLEN AND JOHN B. LANGE

TOALMAY THEOPHILUS

LINCOLN

FRANCIS BERNARD AND S. ALLEN AND JOHN B. LANGE

TOALMAY THEOPHILUS


LINCOLN

FRANCIS BERNARD AND S. ALLEN AND JOHN B. LANGE

Curiosa rerum antiquitus gestarum indagatio plurimum voluptatis ac
jucunditatis animo praebet, et veri recte cognoscendi atque perci-
piendi vim mirabiliter in nobis acuit, et quid in vita, honestis moribus
efformanda, sequi, quid fugere nos oporteat, quae turpia factu, quae
honeste suscipienda sint, imaginibus ad vivum expressis, utiliter nobis ante
oculos ponit. Ea vero voluptas in rebus explorandis, variisque vitae in-
stitutis studiose contuendis, mentique propius admovendis, eo jucundior,
suaviorque efficitur, quo magis cognoscendo animadvertimus, majorum
mores nostris quam proxime accedere. Qua morum similitudine cognita,
animus in causas cupide inquirit, qui factum sit, et quomodo acciderit,
ut aliae actiones ex hominum opinione semper honestissimae, aliae tur-
pissimae habitae fuerint, quas vir erecti ingenii fugere atque evitare debeat.
Demum in portum exoptatum omnibus remigiis velisque explicatis atque
expansis vento secundissimo delati, cernimus, ex quibus fontibus sententiae
opinionisque de honestis inhonestisque rebus profluxerint. Vel homines
communem, omnibus innatum sensum, secuti, in quibusdam actionibus
notam aliquam signumque turpitudinis aut honestatis, in oculos statim
incurrentis, deprehenderunt, ἴσα λόγῳ πρέπει ποιεῖν, vel ex usu con-
suetudineque hominum cognoverunt, quid laudis aut vituperationis insit
in aliorum moribus, vitaeque institutis, τὸ ἀκόλαστον ἐν τῇ ζωῇ. Dici
non potest, quantam vim in hominum indole recte efformanda expo-
liendaque consuetudo atque conversatio cum aliis habeat. *) Quibuscum
enim versamur, eorum etiam mores libenter assumimus.

Hinc

*) Vid. L. Annaei Senecae, Epistolae, XI. LXIV. LXXXIII.



Hinc factum esse jure meritoque colligere possumus, ut, sicut nostris diebus per itinera, peregrinationes, commercia, bella, aliasque rerum perturbationes atque everfiones res cognitione dignissimae ab una gente ad alteram felicissime perferantur; sic etiam ex consuetudine, qua cum aliis uterentur, majores maturo usu cognoscerent, quomodo salubrium legum vinculo homines inter se arctius constringendi, atque in societatem congregandi essent. Nec in ullam dubitationem vocari potest, hanc ob causam veteres, praesertim philosophos, aliosque doctiores, uti ex vita Pythagorae apud Diog. Laertium constat, varia itinera instituisse, aliosque populos visitasse, ut mores perspiciendo cognoscerent, imitandoque id, quod probabile ipsis videretur, exprimerent. Homerus itaque de Ulyssæ in Odyssæa canit,

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω. Odyss. A. 3.

Qui mores hominum multorum vidit et urbes. Horat. de arte Poet. 142.

Multorum providus urbes

Et mores hominum inspexit. Horat. Epist. Lib. I. Epist. II. 19. *)

Si per temporis angustias nobis concessum esset, hominum mores simillimos aut dissimillimos inter se comparare, tunc hac facta comparatione oculis nostris propius admoveretur, in quibus omnes fere populi cum aliis conspirarint, in quibus vero longissime ab aliis abhorruerint et discordarint. At enim vero cum hac de re in praesentia disserere nobis non sit propositum; hoc labore etiam superfedere possumus. In animum potius hac data occasione induximus, demonstrare, quanta veneratione, quantoque honoris cumulo senectus ab omnibus populis, aliqua morum honestate subactis, fuerit affecta, et quomodo, in senectute omnibus honorum significationibus cohonestanda, mirabili conspirarint concentu. Limites tamen, quos nobis ipsi posuimus, transiliremus, si, veterem historiam percurrendo, omnia huc pertinentia proferre, atque ex-

scribere

*) Unde Strabo, Geograph. I. p. m. 16. Οἱ γὰρ ποιηταὶ, inquit, φρονιμωτά-
 ρως τῶν ἠρώων ἀποφάνεσι τὰς ἀποδημήσαντας πολλαχῆ καὶ πλανηθέντας· ἐν μεγάλῳ
 γὰρ τίθενται τὸ πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄστεα καὶ νόον γνῶναι — πάντα γὰρ τὰ τοιαῦ-
 τα παρασκευαί τινὲς εἰς φρόνησιν μεγάλας κ. τ. λ. Confer. Maxim. Tyrius Dis-
 fert. XVI. sub initio, et Apuleius Metamorph. IX.

scribere vellemus. Potiora tantum a nobis illustrandi causa sunt eligenda, seu decerpenda potius, quo verbis nostris major stet fides.

Et apud Graecos, et apud Romanos senectus quondam maximo fuit in honore. Graecia, sicut omnium ingenuarum artium alma mater, inventrixque est dicenda, quas inventas alii deinde populi magis excoluere; ita in hoc saluberrimo instituto prae omnibus aliis palmam sibi quasi praeripuit, ut in coelum maximis laudibus senes efferret. In conventibus publicis decrepitae aetati semper locus concedebatur primarius, nec in deliberationibus de gravissimis rebus natu grandium negligebatur consilium, sed in consultationem adhibebantur, et quicquid vel suadebant, vel dissuadebant, opus factu esse videbatur.*) Inter Graecos vero Spartani hac laude maxime floruerunt, ut in natu majoribus amplissimo cultu decorandis primas fere tenerent. Quorum quidem res publica quanquam a legislatore Lycurgo ita erat constituta, ut pueri a teneris inde ad quaevis durissima patienter perferenda indurarentur; quae corporis exercitationes callum facillime animo obducere, humanitatis sensum exuere, moresque efferos paulatim reddere solent; his tamen rem longe aliter accidisse videmus. Neque enim alia gens unquam extitit, ubi senectus carius aestimaretur, sic, ut teste Plutarcho, in Apoph. sermone tritissimo vulgatum esset: ἐν σπάρτη μόνῃ λυσίτελεῖ γηράσκεν. Cicero idem testimonio Lysandri Lacedaemonii comprobat, ita affirmantis, *Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior.* Cic. de senect. Cap. XVIII. Neque posteros ab hoc laudatissimo more, ne unguem quidem latum, recessisse, sed majorum vestigia firmiter pressisse, ex multis morum praeceptis, a sapientissimis Graecorum magistris in adolescentiae commodum studiosissime elaboratis, et memoriae posterorum proditis, luculentissime apparet.

Unum tantum ex plurimis Phocylidem pro nostra sententia corroboranda in medium afferamus, qui inter alia, ad vitam bene instituentem saluberrima, praecepta hoc etiam monitum accurate inculcavit

αἰδεῖται

*) Sic etiam de Carthaginiensibus memoriae proditum legimus apud Liv. hist. XXX. 16. *seniorum consilium erat sanctius, maximeque ad ipsum senatum regendum vis.*

αἰδεῖσθαι πολιορκιάφας. Εἴκας δὲ γέροντι
 ἔρδης καὶ γεράων πάντων, γενεῇ δ' ἀτάλαντον,
 πρέσβυν ὁμήλικα πατρὸς ἴσας γέροιμε.

Vid. Φωκυλίδε ποιῆμα ναυτικόν.

Hic Phocylides est, qui ab Isocrate in Orat. ad Nic. *περὶ βασι-
 λείας* in iis doctoribus merito numeratur, qui optima mortalibus dede-
 runt consilia. καὶ γὰρ τέττες φασὶ μὲν αἰεῖσθαι συμβέλλει γεγενῆσθαι τῷ
 βίῃ τῶν ἀνθρώπων. Nam hominum animos artibus disciplinisque dili-
 gentissime imbuit, solertius aetate minores docuit, quomodo se omni
 tempore erga natu grandes gerere deberent. Omnia huc pertinentia
 officia his appositis versibus subtilissime complexus est. αἰδεῖσθαι πολιο-
 κροτάφας, quo quidem epitheto etiam Homerus in senibus compellendis
 usus est. Iliad 9. 518. Iubet itaque temporibus canos senes decentissime
 revereri. Vox αἰδεῖσθαι exprimit omne pietatis studium, omnemque
 reverentiam, qua viros ornatissimos, dignissimos, splendidissimosque ornare
 solemus. Sic apud Xenophontem Lib. I. Cyropaed. αἰδέμενος τῶν πρεσ-
 βυτέρων is est, qui reverenter et decenter colit seniores, et apud Home-
 rum Iliad. α, 23 αἰδεῖσθαι 9' ἱερῆα nihil aliud significat, quam sacerdo-
 tem honestissime tractare et omni pietatis cultu excipere. Senes non
 tantum pie revereri, sed etiam ut alteros parentes observare atque amare
 debemus, propter amplissima merita, quae per longam annorum seriem
 rebus omnibus suis utiliter et studiose expediendis sibi compararunt. Si
 enim, ex omnium sententia, amplissimis honoribus, dignitateque eximia
 dignissimi sunt iudicandi, qui maximas, gravissimasque res, gloriosa et illu-
 stria facta, auctoritate, consilio, prudentia, rectaque ratione gerunt;
 nonne senes eodem honorum ornamento affiendi videantur, quorum
 quippe prudentia impeditissimas saepe res expeditas fuisse constat? Propterea
 etiam senes moderatis moribus, litterarumque studiis rite subactos, bona-
 rum artium officinas quasi scholasque dixeris, ubi flos aetatis non tantum
 multa sibi profutura discere, sed etiam bonis moribus quotidie proficere
 possit. Inde fit etiam, ut adolescentia seniorum colloquiis, sermonibusque
 ultro citroque habitis, quibus ad virtutis exercitia instruitur, mirifice
 recreetur. In tanto honore senes ex Phocylidis sententia esse debebant.

In senibus, omni laude cohonestandis, Romani etiam egregie semper
 elaborarunt. Nam cum tandem Graecia a Romanis bello superata, sub
 jugum

jugum

iugum mitteretur, mores Graecorum cum artibus ibi inventis excultisque in castra Romanorum transibant, et Romani Graecorum mores vita exprimere incipiebant. *) Hinc etiam factum esse legimus, ut apud Romanos natu maiores, aetateque proveciores omni honorum decore splendoreque insignirentur, atque, ut senem despiciatui habere turpissimum, poenaque dignissimum ex Romanorum lege censeretur. Quod multis auctorum locis allegandis facillimum esset ad probandum, si res adhuc probatione egeret. Ex M. Tullii Ciceronis Catone majore sole clarius elucet, quantum pretium senectuti, praesertim honoratiori, Romani statuerint, quantisque encomiis eam quavis data occasione ornarint.

*Magna fuit quondam capitis reverentia canī,
Inque suo pretio ruga senilis erat. Ovid. Fast. VI.*

Quod si plurimis exemplis exaggerandis nostrae sententiae clarior lux accendenda esset, Hispanos jam in medium produceremus, a quibus Arianus Lib. VII. *περὶ ἀναβίσεως Ἀλεξάνδρου*, testis locupletissimus, senes olim amplissima gloria, pietateque religiosissima decoratos fuisse, memoriae mandavit.

Quae quidem pauca eum in finem praefati sumus, partim, ut nostrum studium, amoremque erga veteres graecos romanosque scriptores publice certificaremur, et a nominibus nostris maculas abstergeremus, quas nostrae famae inurere ii gestiunt, qui dente maledico nos carpando iteratis vicibus, nos in agro degentes homines otio turpissimo diffluere, socordemque vitam trahere, nec ullum bonae frugis librum legere, sed omne vitae tempus nihil agendo transigere dictitant. Partim vero his testimoniis, e veterum lectione depromptis, alios ad hoc litterarum studium impigre colendum allicere volumus. Nam constat, lectionem veterum auctorum nostra aetate prae nimio amore librorum novorum, qui acervatim protruduntur, prorsus negligi, ita, ut verissimum sit, quod b. Ernesti nostris temporibus accommodatissime dixit. **) *Ac profecto valde rara est hodie vetus illa diligentiae virtus in doctis hominibus eorumque libris, propterea quod ita ad ignaviam et voluptatem*

*) Vid. Cic. in Orat. pro A. Licinio Archia poeta Cap. III.

**) Vid. Jo. Aug. Ernesti Opuscula oratoria, oratio de doctrinae accuratae et promptae laudibus. p. 91.

voluptatem haec tempora inclinaverunt, ut nihil magis quam diligentiam molestiam fugiant homines, sintque, ut in dicendo levissimi, ita in scribendo docendoque negligentissimi, unde produnt libros, quos velut ingenii partus, magis inchoatos immature per vim excussisse, aut per temeritatem effudisse, quam cura, et diligentia absolutos edidisse videantur. Sed haec ὡς ἐν παρόδοιο.

Ex deverticulo iam in viam, nobis signatam, reversi, dictis et e veteri, et e novo testamento proferendis, probatum atque evictum demus, quantum pretium senectuti, imprimis honestae, sit constitutum, quanta veneratione, quantoque pietatis studio senes tam ex praecepto Moſis, quam ex Christi, eiusque Apostolorum praescripto ornati fuerint. Quod eo libentius aggredimur, quo magis S. codicem fontem omnis veri recte cognoscendi, ac dijudicandi vberimum pie, religioſeque colimus, et veneramur, certissime pervasi, ex hac perenni omnis veritatis scaturigine, tanquam per varios rivulos, omnem sapientiam, qua remotissimae quaeque gentes ditissimaeque inclaruerint, ad eas igitur Deo sic moderante, felicissime propagatam fuisse.


Moses, cuius eximia merita multi, infania ac dementia exagitati, omni data opera obscurant, legationemque divinam perversè in dubium vocant, legibus, sapientissime conditis, illustrissime innotuit. Conf. Vill. Warburtoni *The divine legation of Moses demonstrated: Göttliche Sendung Moſis, mit Anmerkungen von Joh. Christ. Schmidt. Frkf. und Leipzig 1751 — 53. Jerusalems Briefe über die Mosaischen Schriften und Philosophie. Braunschweig, 1762.* Hic memorare iuvat, quam pulcherrimis coloribus depictam, atque expressam Moſis indolem legimus apud Jerusalemium in Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion, zweyten Theils zweyter Band, 4. Betracht. 5. Abschn. Wie die Zeiten sich ändern können. Im vorigen Jahrhunderte wußten die größten Gelehrten und Staatsmänner in Deutschland und Frankreich die Weisheit dieser Gesetze nicht genug zu bewundern. Sie verglichen sie mit den ältesten Gesetzen der übrigen klügsten Völker, und die Aehnlichkeit, die sie mit diesen darinn antrafen, vermochte sie nicht allein dieses Mosaische Gesetz, als die Quelle anzusehen, woraus jene Gesetzgeber ihre besten Einsichten geschöpft hätten; sondern man glaubte auch, daß noch jetzo unsere Staaten, so viel es nur die übrige Verfassung litte, nicht glücklicher als nach diesen Gesetzen eingerichtet werden

werden

werden koennten. etc. Moses igitur in republica, suis legibus accuratissime condita ac circumsepta grandium natu praecipue rationem habuit, eorumque dignitati atque honori quam maxime consuluit. Lex hac de re sancita ac promulgata legitur Levit. XIX, 34. *) cuius verba ex b. Dathii versione sic fluunt: *Seni assurgite, et honorem exhibete pro reverentia mihi, Deo vestro, debita. Ego sum Jova.* Is honor, Mose praecipiente, senibus est habendus, qui solum viris habetur, maxima auctoritate praeditis. Nam etiam ex nostris moribus solenne est, honoris causa iis assurgere, quando ad nos accedunt, sermonesque nobiscum miscent. Cum itaque *assurgere alicui* signum sit eximii honoris, in eum, cui assurgitur, conferendi; sequitur hoc praeccepto nihil aliud exprimi, quam dignissimum senem iudicate, qui laudibus omnium quam maxime celebretur et amplificetur. Etiam in Cicerone relatum legimus, hoc venerationis cultu natu praegrandes ab aliis populis liberalissime, ac honorificentissime fuisse exceptos. Narrat enim, *cum quidam in theatrum grandis natu venisset, et ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati cum essent, certo in loco confederant, consurrexissent omnes, et senem illum sessum recepisse.* Vid. Cic. de Senect. Cap. VIII. Senes honorifice sunt compellandi. Quam ob rem Moses etiam cauit: ne quis in conspectu grandium natu aliquid indecori committere auderet, quod cum reverentia, iis debita, pugnare, auctoritatemque minuere, ac vilipendere videretur. Quo circa Jeremias Thren. V. 12. valde luget, deploratque dedecus opprobriumque, quo viri, aetate venerabiles, a male sanis obruebantur: *senibus, inquit, nullam exhibent reverentiam.* Quin imo Moses Deut. XXVIII. 50, rebellibus obstrepentibusque Judaeis minitabatur, nisi mentem in melius mutaturi essent, Deum commissurum esse, ut ad gentem quam atrocissimam abducerentur, et detruderentur, quae senum non sit habitura rationem. His dictis inter se collatis in promptu est intelligere, quid Moses sibi voluerit praecipiendo: *Seni honorem exhibete.* Negari omnino non potest, in hac lege religiose observanda Judaeos se dicto Mosis obediens praestitisse, si libros perlustrando percurramus, in quibus semper fit honorificentissima senum mentio. Non vacat, nec opus est, omnia loca ex libro Proverbiorum, Siracide aliisque libris didacticis huc congerere. Sunt enim notissima, tritissimaque.

Ne

*) Non opus est, ut plurimis verbis dubium refutemus, quod contra hoc dictum Montesquius movit. Vid. Joh. Dav. Michaelis Mofaisches Recht, P. II. p. 346.



Ne quis vero opinetur, nos Christianos hoc legum vinculo per Christum solutos esse, ex ipsius Christi ore audiamus, sic de se loquentis: Matth. V, 17. *ne putetis me venisse ad oppugnandam et abrogandam legem, rejiciendosque prophetarum libros, non hoc consilio veni, ut omnia ista abolerem, sed potius, ut observarem ipse atque confirmarem.* Agedum ex libris novi testamenti etiam luculentissime patere demonstramus, senes, tam ex Christi, quam Apostolorum praescripto in oculis ac corde esse ferendos. Atqui nos Christianos quam maxime decet, omnibus Christi Apostolorumque praeceptis obedire, quo ampliora sunt beneficia, quibus per Christum, eiusque praestitam expiationem sumus mactati. Lex Christianis lata de senibus diligenter colendis i Timoth. V. 1. extat, et sic se habet: *πρεσβυτέρω μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παροικῶν ὡς πατέρα.* Paulus methodum praescribit, quam in diversi generis hominibus emendandis et corrigendis sequi Timotheum oporteat. Omnem importunitatem, inhumanitatem, animique acerbitatem quam maxime ei dissuadet. Hac via nihil effici docet, nec hac ratione appetitum in gyrum rectae rationis duci, sed animum potius exacerbari atque a veritate alieniorem fieri. Natura furca non expellitur. Sicut enim sapientis est, in omnibus rebus modum tenere; sic etiam prudentis doctoris est, in castigando, admonendo ac corrigendo se quam lenissimum moderatissimumque praebere, ac aetatis rationem semper habere. Si cupimus, ut aliquis nostris admonitionibus attonitus ad frugem redeat, in vitia eius sceleraque non est more stentoreo increpandum et debacchandum. Mollioribus ad vulnera sananda opus est fomentis. Ulcera leniter ac molliter sunt tangenda, nisi membra saucia tactum reformidare velis. Religio Christiana mutui amoris, concordiae, lenitatis, mansuetudinis et humanitatis dulcissima commendatrix adjutrixque, omnem acerbitatem, vehementiamque animi in peccatis puniendis vituperat, verbisque gravissimis reprehendit. Omnes, Christianorum societati nomina sua daturi, ad veritatem amicissimis blandissimisque verbis sunt adducendi ex Galat. VI. 1. Hoc modo in gratiam cum veritate relictam facillime reditur. Davides recte dicit: corripiat me justus, beneficium erit: reprehendat me, instar unguenti capitis mihi erit. Ps. CXLI. 5. Sic b. Doederleinus hunc difficillimum versum explicavit. Christus ipse, quo nemo unquam excellentior in omni virtute sectanda fuit, nos suo hic exemplo praeit: erat erga omnes clemens, et animo demisso. Matth. XI. 23. Paulus itaque saluberrimorum praeceptorum disciplinis innutriturus Timotheum, ostendit quoque,

quoque,

quoque, quae officia erga senes sint observanda. *πρεσβυτέρω μὴ ἐπιπλή-
ξης.* Vocem *πρεσβυτέρω* in loco allegato non ad dignitatem, nec ad or-
dinem; quo sensu saepius, et in nostro capite occurrit: sed potius ad aeta-
tem referimus, sicut etiam V. S. V. Rosenmüllerus in sch. Tom. V. huic
explicationi calculum adjecit. Vetat Paulus *πρεσβυτέρω ἐπιπλήττειν*, hoc
est, quicquam de seniorum laude corripiendo praecidere. Verbum *ἐπι-
πλήττειν* etiam apud profanos scriptores de tali objurgatione, atque repre-
hensione usurpatur, quae cum ira, indignatione, morositateque animi, quin
imo saepius etiam cum plagis fustibusque est coniuncta, uti apud Home-
rum Iliad. Ψ. 579 occurrit. Itaque versio graeca vulgaris ita vertit: *μὴν
ὄνειδίσῃς τον γεροντώτερον.* Hinc facile est videre, quid Paulus 1 Timothi.
III. 3. per *πλήκτην* intellexerit, nempe eum, qui verbis calumniarum ple-
nissimis objurgat et increpat aberrantem, more ferocissimi litigatoris, qui
vociferationibus suis implacabilia concitat odia, inimicitiasque ferit non mo-
rituras. Horatius has objurgationes apposite vocat *verbera linguae* Lib. III.
Od. XX. 3. Paulus tutiorem viam in religione, senibus commendanda,
monstrat. Ex eius sententia quilibet praecipitatae aetatis homo quam humanis-
sime atque liberalissime est tractandus: non is propter infirmitates, quae
huic aetati plerumque adhaerent, increpari, nec objurgari debet; sed cum
ea, quae senectutem decet, modestia humanitateque monendus est. In
corrigeno sene ab omni sermonis acerbitate, importunitateque est absti-
nendum. Nam quemadmodum liberis convenit verecunde et humaniter
cum suis parentibus versari, et maximopere ea vitare, quae cum reveren-
tia, parentibus debita, pugnare videntur; sic *οἱ πρεσβύτεροι ὡς πατέρες* a
nobis semper sunt observandi, amandi ac colendi. Hoc etiam monitum
omnibus junioribus Cato his verbis studiosissime injunxit.

Ἀγρίφρων τελέθων μὴδὲ χλεύαζε τὸ γῆρας.

Sed fac haec omnia praecepta de senectute pie honoranda non exta-
re, tamen nullus dubito, quenquam tam agrestibus moribus, et ab omni
humanitatis sensu alienum fore, quin reverentiam aetate provectioribus sit
praestiturus. Hanc legem natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.
Experientia enim quotidiana comprobatur, omnes fere res eo carius a no-
bis aestimari, quo antiquiorem prae se ferunt aetatem. Numi vetustiores re-
centioribus a numariae rei peritis longe anteferuntur, et quis nescit, ve-
teris Falerni et Massici pocula ab Horatio summis extolli laudibus?

Adeo sanctum est vetus omne poema. Horat. Epist. II. 1. 54

B 2

Put-

Putamusne homines de senectutis meritis aliter esse iudicatu-
 ductum sequuntur, nec se a pravis, perversisque opinionibus abripi patiuntur,
 quae omne mentis lumen extinguunt. *) Et quid jucunditatis senectuti in-
 esset, nisi aetatem ingravescens, ut recte Young, nescio quo loco, mo-
 net, juniorum studia religiose prosequerentur? Nullus fere reperietur, si
 homines ex desideriiis, ipsis innatis, recte dijudicare licet, quin optet, ut
 senectutem adipiscatur: quam, si consecutus est, vult etiam ab aliis cele-
 brari. Quid ergo aequius dici cogitarique potest, quam ut aliis ea quo-
 que praestemus, quae nobis ab aliis praestari velimus? vid. Siracid. VIII. 7.
 Et quem splendor majestasque maximarum et praeclarissimarum virtutum
 non delectent, quae in senibus, litterarum studiis rite subactis, maxime co-
 ruscant et nitent? Hae virtutes illustres et conspicuae sunt, quae nos, ad
 eos omni observantia, omnibusque humanitatis officiis prosequendos, eo
 propensiores faciunt, quia etiam in iis, qui annis vergentibus sunt, cer-
 nitur consilium, recta ratio, prudentia, auctoritas, et perturbationum quies. **)
 Hinc fit etiam, ut adolescentes senes admirentur, colant, diligant ***) eo-
 rumque praeceptis gaudeant, quibus ad virtutum studia ducuntur, et ad omne
 officii munus instruuntur. Nam, quae sunt Antiphanis apud Stobaeum Serm.
 114 verba: σοφὸν πρὸς βελῆειν ἐστὶ γῆρας, ὡς δὴ πολλ' ἰδὸν τε καὶ μαθόν'. ****)

At enim vero, si imaginem, quam de senibus adumbravit Horatius,
 ante oculos propius ponimus, tunc in senibus tam multa valde odiosa appa-
 rent,

*) Hic conf. Burgundi Ledi liber de colendae senectutis praerogativa. Rom. 1550
 Henrici Knausteni Encomium senectutis Francf. 1567. Plutarch. An seni sit
 gerenda respublica? et Stobaeus Serm. CXIII et CXIV.

**) C'est en fin tout le soulagement, que je trouve en ma vieillesse, qu'elle amor-
 tit en moi plusieurs desirs, et soings, de quoi la vie est inquiétée le soing du
 cours du monde, le soing des richesses, de la grandeur, de la science, de la
 sante, de moi. Vid. Montaigne Ess. Lib. II. Ch. 28.

***) Quem non ista studiorum juvenilium delectet, a Callimacho egregie depicta, imago?

Γηράσκειδ' ὁ γέρον, κῆρος ἐλαφρότερον,
 κέραι τὸν φιλέσει, εἶον δέ μιν οἶα τοκῆα
 χειρὸς ἐπ' οἰκίην ἄχρῃς ἄγχει θύραν. Callim. edit. Ern. fragm. XI.

****) Sic apud Homerum Nestor:

Ὅπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν
 εἰ τότε κῆρος ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρας ἱκάνει.
 Ἀλλὰ καὶ ὡς ἱππεῦσι μετέσσομαι, ἠδὲ κελύσω
 βελῆ καὶ μύθοισι τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων. Iliad. Δ. 230.

rent, quae animum ab iis suspiciendis facile abalienare possint. Audiamus, quomodo is decrepitorum mores depinxerit:

Multa senem circumveniunt incommoda: vel quod
 Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti.
 Vel quod res omnes timide gelideque ministrat.
 Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
 Difficilis, querulus, laudator temporis acti
 Se puero, censor, castigatoreque minorum. De arte poet, 169.

Audiamus etiam de nostris Wielandium:

Das Alter ist geschwätzig, wie ihr wißt;
 Es liebt zu reden von den guten Zeiten,
 Die nicht mehr sind, in denen es, als wie
 In einem seelgen Traum, allein noch lebt.

Et Hagedornium P. I. p. 193.

Der weisheitsvolle Greis, der gegenwärtige Zeiten
 Hofmeisterlich belehrt, der Freund der Schwierigkeiten,
 Ist hämisch, mißvergnügt, der Erben Trost und Last,
 Und hoffet, schertzt und liebt, so frostig, als er haßt:
 Nichts rührt sein schlaffes Herz, als kluge Münzgesetze,
 Des Reichthums Majestät, die Heiligkeit der Schätze,
 Die er mit List, mit Furcht, die ihn zum Sklaven macht,
 Erwuchert, sammlet, zählt, umarmt, versteckt, bewacht,
 Verehrt, verschont, besetzt. u. s. w.

Quae vitia in contemptum senectutis multis aliis, sinistre praveque excogitatis, et undique corrasis, exaggeravit Gratianus in tract. qui inscribitur Criticon. Nos non infitiamur, ex tritissimo proverbio, *lupus pilum mutat, non animum*: senes stolidos, avaros, *) libidinum vinculis constrictos, nullisque litterarum studiis excultos reperiri, qui more juvenum ferocium impense cupiant, consulant parum, sintque levi sententia, qui conscientia male actae vitae stimulis aculeisque, tanquam furiis, exagitati, omnium miserrimam tristissimamque agant senectutem. Nunc vero e contrario etiam Ciceronem auscultemus differentem, et has maculas omnes a senectute sic eluentem: *at sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes, si quaerimus, etiam avari. Sed haec morum vitia sunt, non senectutis.* Vid. Cap. XVIII. de senect.

Quod

*) Vid. Baco de Verul. de augmentis scientiarum lib. VIII. Cap. III. et Terentii Adelph. V. IV. 47. et V. VIII. 31.

Quod si teste Cicerone haec vitia morum, non senectutis sunt, non est dubitandum, quin multi senes, horum vitiorum puri, vitaeque integri inveniuntur, in quos nec morositatis, nec avaritiae, aliusque generis vitiositatis suspicio cadat.

O quantis gaudiis nos omnes merito exultamus hoc die, quo, Tu, Vir summe Venerabilis, Sanctissime, Moderatissimeque omnium Senex, memoriam sacerdotii, quinquaginta annis ab hinc suscepti, bonis omnibus laetus hilarisque recolis, nobis in Te talem, tantarumque virtutum choro praeditum, Ephorum obtigisse, quem in his senibus moderatissimis jure numerare liceat, quibus senectus non onus aetna gravius est, sed qui corpore, et animo, ad omnia munia alacri, et vegeto, officia solertissime exsequuntur. Tanta enim corporis valetudine, tantoque animi robore viges, ut nulla infirmitas, imbecillitasque nulla Te a rebus gerendis, partibusque Tibi demandati muneris recte feliciterque administrandis avocet.

Nec tarda senectus

Debilitat vires animi, mutatque vigorem. Virg. Aeneid. IX. 610.

Omnes, qui Te tam bonis viribus extremo tempore aetatis, ut adolescentia non requiratur, incedentem, pro rostrisque s. publice verba facientem audiunt, toti in Tui admirationem effunduntur, benevolentiamque Dei, in Te prorsus insignem, animo Tecum concelebrant gratissimo, Teque omni honore venerationeque dignissimum judicant. Conscientia bene, pure atque eleganter actae vitae Tuam senectutem tam lenem, tam placidam efficit, ut fructus Tuae senectutis jam sit uberrimus ante partorum bonorum memoria et copia. Quae enim beneficia levisti, eorum jam fructum metis. O quantum, quamque praeclarum aetate ingravescente solatium est, quo nihil dulcius dici, excogitarique potest: *nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Nullum enim theatrum virtuti conscientia majus est.* Hac mentis consolatione reffectus, omnes senectutis molestias felicissime etiam abstergis, cum Davide dicens: *in tua manu sunt tempora mea, tibi, o Deus commendo animam meam.* In hoc vitae itinere, quod jam per Dei gratiam feliciter emensus es, multo laetiora, quam acerbiora Tibi obvenisse gratissimus hodierno die agnoscis, benignitatem Dei summis extollendo laudibus, publice profiteris: *miseritordia Dei nunquam a me desit, singulis diebus nova extitit. Magna est fides tua, o Deus.* Aequam rebus in arduis servasti mentem, non secus, ac bonis, ab insolenti temperatam laetitia. Si quid adversi Tibi in
vita

vita accidit; quae autem hominis vita omnium malorum expers est? tum praesentissimus Deus Tibi auxilio semper praesto adfuit. Cum recordatio malorum, felicissime superatorum, magnam adferat laetitiam jucunditatemque; in memoriam etiam revocas gravissima ista, quae per tempus illud calamitosissimum subiisti pericula, cum bellum funestissimum patriam misere affligeret, Torgaviaque Tua globis igneis, undique injectis, miserabili modo incenderetur. O quam mirifice in hac rerum omnium perturbatione et Tu, et omnes, Te publice dicentem, consolantemque audientes, hoc solatio sunt recreati, atque exhilarati: *Deus refugium nostrum, et praesidium est, auxilium praestantissimum apud eum tempore adverso invenimus, propterea non timemus, si vel terra moveatur.* O quam mirabiliter curam Dei, Tibi, Tuaeque saluti semper invigilanti, expertus es, ut hac experientia corroboratus, et confirmatus, animo fiduciae plenissimo etiam hodie dicere possis: *κύριος ἐμὸν βοηθὸς, καὶ ἐφοβηθήσομαι.* Opibus atque divitiis avide fordideque corradendis nunquam inhiasti, multo pretiosiores auro magno opes, in litteris vivendo, Tibi reposuisti; famam, omnibus officii partibus diligentissime exsequendis, non interituram, Tibi, Tuisque semper ornamento decorique futuram. *) Hac ratione Tibi, Tuisque prospiciendo prudentissimum secutus es consilium Isocratis, quod Nicocli dabat: *περὶ πλείονος ποιῆσαι δόξαν καλὴν, ἢ πλεόντων μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν. ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δὲ ἀθάνατος. Καὶ δόξη μὲν χρήματα κτητὰ, δόξα δὲ χρημάτων ἐκ ἀνητῆ. Καὶ τὰ μὲν τοῖς φαύλοις παραγίνεται, τὴν δὲ ἐχ οἶον τε, ἀλλ' ἢ διενεγκόντας κτήσασθαι.* ad Nic. Orat. II. Cap. IX.

Cum Tua senectus, Ephore summa et auctoritate, et religione, et fide Tua conspicue, tot tantisque virtutum praesidiis fulgeat et exsplendescat; conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio hodiernum diem Tibi jucundissimum efficit. Nam, quoad longissime potest mens Tua respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, gratissimus vides, et ad suscipiendas, et ad ingrediendas res Deum semper Tibi extitisse auctorem adjuto-

*) Liber doctissime elegantissimeque elaboratus, M. Joh. Theodor Lingkens merkwürdige Reifegeschichte D. Martin Luthers, zur Ergänzung seiner Lebensumstände, und Erläuterung der Reformationsgeschichte, aus bewährten Schriften, und zum Theil ungedruckten Nachrichten: Nominis Tui splendorem per orbem literatum jam dudum divulgavit.



adjutoremque beneficentissimum. Nos omnes in partem Tuæ laetitiae venientes uno ore, unaque voce Tibi applaudimus:

Duplici vere Senior videris
Dignus honore.

Si jam nobis daretur intimos animi Tui recessus inspicere, *Senex suspiciende*, haec suspiria ex imo pectore ad Deum prorumpentia exaudiremus. *) *Tu enim spes mea, o Domine. Jova, fiducia mea inde a pueritia fuisti. In te nixus sum inde ab utero, tu me a nativitate beneficiis cumulasti. Te semper laudabo. Prodigii instar fui multis, tu enim tantissimum mihi es refugium. Pleno ore te laudabo, quovis die tuam gloriam canam. Noli mihi deesse in senectute mea. Viribus meis consumtis ne me deseras. Celebrabo potentiam tuam, o domine Jova, praedicabo tuam tantam benignitatem. Tu, o Deus, me inde a pueritia me docuisti, et adhuc miram tuam sapientiam praedico. Neque in senectute, et canitie mea me desere, dum tuam potentiam aliis, tuamque virtutem posteris exponam.* His Tuis ex animi profunditate ad Deum profusis precibus nostras etiam adjungamus, omnibusque precibus votisque a Deo efflagitemus et contendamus: ne Deus in senectute Te deserat, et ut felix sis, quam diu vives.

Tempora sic habeas optatae longa senectae.

Nos ad Tuum praeclarissimum exemplum intenti; nam elata manu, intensaque voce unicuique nostrum hodie dicis: *ante senectutem curavi, ut bene viverem: in senectute, ut bene moriar.* Senec. Epist. LXI. nos etiam *ὡς Θεὸς διακόνης* in instruendo, admonendo, cohortando, tolerando sic praestemus, ut Deo per Christum probemur. Hac via nos etiam senes futuri non solum fruges, a nobis sparsas, contuendo, demetendoque mirabiliter recreabimur; sed etiam hoc conscientiae purae integraeque vitae clypeo tecti, obfirmatique omnes imminentis mortis terrores feliciter propullabimus, tumque alacres et intrepidi futurae vitae appropinquabimus, et *βραβεῖον* fide, constantiaque dignum a Deo justissimo aequissimoque diribitore accipiemus. *Τὸς γὰρ πάντας ὑμᾶς φανερωθήναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ.* In his exercitationibus ingenii, curriculisque mentis, desudemus atque elaboremus, ne, cum mors advenerit, nos poeniteat, Vixisse.

O Deus Omnipotens nostris his annue votis.

*) Vid. Ps. LXXI quem Ps. a Davide, senectute jam confecto, concinnatum fuisse, Knappii conjectura est.

